

matrimonium prius invalide contractum, tanquam validum habeatur etiam pro illo tempore, quo invalide erat contractum, ac per consequens etiam proles ex illo prius invalide genitæ, tanquam ex valido procreata reputentur: prout cit. tit. XVII; nu. 5, jam dictum ac probatum habetur atque ulterius, et insigniter probant Corrad., lib. VIII, cap. v, a num. 46; Justis, lib. I, cap. vii, a num. 269.

358. *Dispensare in radice matrimonii quid sit?* — Solum notandum, quod Papa censeatur in radice matrimonii dispensare, et per dictam clausulam proles ex illo genitas legitimare quoad omnes effectus, non tantum quando utitur terminis ut ex tunc, vel ut prius, sed etiam quando dicit, quod in matrimonio prius nulliter contracto permanere, vel illud de novo contrahere valeant; dummodo præfatam clausulam pro legitimatione prolis ex invalido matrimonio conceptæ apponat, uti contra Sanchez, lib. VIII, disp. 7, bene probat Justis, lib. I, cap. vii, n. 284; Garcias, p. VII, cap. ii, num. 42; Corrad., lib. VIII, cap. iii, nu. 50 et seqq., dicens, opinionem Sanchez in hoc puncto pluries esse rejectam ac reprobam a Rota.

Solet pontifex etiam adhibere clausulam, « prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando » in casu, quo nulla præcessit copula. Verum hoc facere censeatur ad abundantiam ad tollendos scrupulos; uti cum aliis bene notat Corrad., lib. VII, cap. vii, eo quod proles ex subsequenti matrimonio per dispensationem valide contracto nata, absque ulla alia legitimatione, quoad omnia perfecte censeatur legitima, claris juribus, quæ habes supra tit. XVII, *Qui filii sint legitimi*.

359. *De praxi, qua executor in actu litteras exequi, et dispensare potest, ac debet.* — Quæritur IV. Quomodo executor visis et consideratis litteris apostolicis in praxi se gerere, et qualiter ad executionem procedere, eamque expedire? vel inventa falsitate aut defectu eam negare, et oratoribus consulere debeat? Resp. I. Si visis, et consideratis litteris apostolicis executor reperit, eas esse conformes stylo consueto juxta dicta, nec insolitas continere clausulas, facit decretum super capienda informatione tenoris v. g. sequentis.

« Die, etc., anno, etc. Reverendissimus litteras ab NN. sibi præsentatas omni, qua docet, reverentia recepit, et mandavit super

expositis, et narratis in prædictis litteris debitas capi informationes ad hoc, etc.; et ita, etc. »

Postea per se vel per alium incipit informationem capere de expositis per oratores ac videre, an nil necessario exprimendum sit omissum, an preces veritate nitantur; principaliter autem, an causa motiva subsistat, et impedimentum ita se habeat, ut fuit expositum, præsertim an etiam gradus propinquus fuerit expressus, casu quo inæqualiter distant ob dicta, a num. 170.

360. Si impedimentum et causæ dispensandi probari possunt per testes, ut consanguinitas, affinitas v. g. assumendi sunt duo testes idonei, qui examinari, et deponere debent super præfato impedimento et causa; qui testes, licet absque exacta forma judiciali, et sine juramento (nisi de paupertate oratorum examinentur) examinari valeant, tamen aliqua cum forma examinandi sunt, ita ut saltem præmittantur generalia interrogatoria consueta, et quivis semper dicat causam sui dicti, sive scientiæ, id est, unde vel quomodo sciat, quod dicit, seu deponit.

361. *Si reperit litteras subreptitias, debet scribi pro novis litteris perinde valere dictis. Perinde valere, quid?* — Resp. II. Si ex informatione capta executor deprehendit, esse omissum aliquid de necessario exprimendis juxta dicta § IV, vel errorem vitiantem dispensationem juxta dicta a num. 210, aut falsitatem in causa finali seu motiva commissam juxta dicta a num. 205, non potest litteras exequi, sed si defectus sanari potest, suadere debet oratoribus, ut procurent novas litteras apostolicas perinde valere dictas exinde, quod sanent, et revalident gratiam seu litteras apostolicas prius nulliter obtentatas, perinde ac si ab initio rite et valide impetratæ fuissent, prout bene observat, Corrad., lib. VIII, cap. v, a num. 39.

362. — *Formule supplicationis pro litteris perinde valere.* — Porro ad impetrandas novas litteras dispensationis perinde valere, fit supplicatio eodem fere modo quo pro primis litteris juxta dicta a numer. 240 ita tamen, ut facto solito ingressu enarretur, qualiter prius per errorem, aut falsitatem, aut omissionem necessario exprimendi impetratæ sint litteræ dispensationis, fideliter etiam exprimendo plures errores, defectus, aut falsitates, si in prioribus litteris reperiantur alias enim, si unus tantum error,

aut falsitas enarratur, et mediante perinde valere sanatur, ipsum etiam perinde valere nullum ac subreptitium erit novæque litteræ perinde valere super alio perinde valere dictæ impetrari debent, casu, quo duo vel plures vitiantes errores aut falsitates in prioribus continebantur.

Ut autem facilius fieri valeat supplicatio pro novis dispensationis litteris perinde valere dictis, unam et alteram formulam subjungimus.

Formula supplicationis pro perinde valere ob impedimentum novum contracto jam matrimonio detectum.

« Beatissime pater.

« 363. Alias sanctitatis vestræ pro parte devotorum illius oratorum Bizantii Lorenzani laici, et Dorotheæ Parmesinæ mulieris Neapolitan. diocesis exposito, ipsos oratores, qui ex honestis familiis existunt, ex certis rationabilibus causis, animos eorum moventibus, cupere invicem matrimonialiter copulari. Sed quia quarto consanguinitatis gradu invicem erant conjuncti, etc. Quare, etc., prout in dictis litteris continetur. Quibus quidem litteris ordinario præfato præsentatis, idem ordinarius contenta in eis verificari mandavit: verificatisque in eis contentis cum dictis oratoribus super impedimento prædicto dispensavit; illisque matrimonium contrahendi licentiam concessit, cujus quidem licentiæ vigore oratores ipsi matrimonium inter se, per verba de præsentati, publice factis proclamationibus in eorum parochiali ecclesia, servata forma concilii prædicti, nulloque alio detecto impedimento contraxerunt, illudque in facie Ecclesiæ solemnizarunt, et carnali copula consummarunt, in eoque per plures annos permanserunt, prolemque susceperunt, postmodum vero ad eorum pervenit notitiam, eos duplici quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, propter quod a carnali copula hujusmodi abstinerunt. Cum autem, Pater sancte, oratores præfati, in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque sedis apostolicæ dispensatione: etsi divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possint verosimiliter exoriri. Supplicanti igitur humiliter Eminentiſsimam sanctitatem vestram oratores præfati, quatenus eos, ne

dictarum litterarum frustrentur effectum, amplioris gratiæ favore prosequendo, eidem vicario, ut negotium hujusmodi reassumens, litteras præfatas valere decernens, cum eisdem oratoribus super impedimento duplicis quarti consanguinitatis gradus hujusmodi dispenset, prolemque susceptam, et suscipiendam exinde legitimam decernat, ac ad earumdem litterarum executionem, servata alias earum forma, procedat in omnibus, et per omnia; perinde ac si oratores non quarto, non duplici quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos expressum, ac cum eis desuper dispensari mandatum fuisset, committere, et mandare dignemini de gratia speciali. Non obstantibus præmissis illis, quæ, etc.

« Et cum absolutione a censuris ad effectum, etc. Et committatur ordinario, etc., qui decernat et dispenset ut supra. »

Formula perinde valere ob copulam, post obtentam, sed ante executioni mandatas litteras, habitam.

« Beatissime pater.

« 364. Alias sanctitatis vestræ pro parte devotorum illius oratorum Mathæi Parafreni laici, et Euphrosinæ venosæ mulieris Neapolitan., diocesis exposito, dictam oratricem dotem habere minus competentem, etc., cui nubere possit, invenire valeretur, et præfatum oratorem illam, etc., in uxorem ducere, illiusque dotem augere intendere: Cupereque, etc. Sed quia tertio et quarto, etc., quatenus, etc. Prolem prout in dictis litteris continetur. Quas quidem litteras præsentarunt; qui contenta in eis verificari mandavit; et cum in verificatione ipsa eis constaret, oratores præfatos post obtentam hujusmodi litteras carnis fragilitate devictos se carnaliter cognovisse ad earum ulteriorem executionem procedere noluit, et ipsorum oratorum ordinarius contra ipsos, propter incestum hujusmodi procedendo eos in certas pœnas condemnavit. Supplicanti igitur humiliter Eminentiſsimam sanctitatem vestram oratores præfati, quatenus eos, ne dictarum litterarum frustrentur effectum, amplioris gratiæ favore prosequendo, eidem vicario, ut negotium hujusmodi reassumens, litterasque præfatas valere decernens, eisdem oratores ab excommunicationis sen-

tentia, quam propter præmissa incurrerunt, incestus reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro absolvat, ac ad executionem dictarum litterarum servata, etc., procedat, etc., perinde ac si carnalis copula hujusmodi secuta non fuisset. Prolem, etc., legitimam decernendo, committere dignemini de gratia speciali. Non obstantibus omnibus illis, quæ, etc.

« Et cum absolutione a censuris ad effectum, etc. »

365. *Formula executionis a delegato faciendæ.* — Ad modum dictarum facile aliæ fieri possunt, plures vide apud Corrad., cit. lib. VIII, cap. v.

Resp. III. Si executor capta debita informatione juxta dicta supra n. 301, et n. 359, invenit, preces veritate niti, ac dispensationis litteras esse legitimas, legitimeque obtentas, debet eas exequi, et actu dispensare; idque præstat faciendo prius decretum de dispensando, eoque facto dispensationis litteras expediendo tenoris sequentis.

Formule executionis litterarum dispensationis super tertio et quarto gradu consanguinitatis.

« Nos N. N. reverendissimi et celsissimi, etc., episcopi, etc., in spiritualibus vicarius generalis, ad infra scripta specialiter delegatus, universis et singulis præsentibus visuris salutem in Domino. Noveritis, fuisse nuper coram nobis pro parte N. N. diœcesis N. præsentatas, et a nobis, ea, qua decuit, reverentia receptas, ac lectas litteras apostolicas sigillo, et aliis more romanæ curiæ munitas, et subscriptas, in nullo vitiatas, nullaque ex parte suspectas tenoris sequentis; » (hic inseratur tenor litterarum apostolicarum: quod tamen necessarium non est, si litteræ originales servantur in actis, ut bene notat Corrad., lib. VIII, cap. vi, n. 48, dein pergitur): Post quarum quidem litterarum præsentationem et receptionem coram nobis, et per nos, ut præmittitur, factam, fuimus pro parte dictorum N. N. debita cum instantia requisiti: quatenus ad executionem dictarum litterarum, et contentorum in eis procederemus. Nos igitur attentam et servatam illarum formam mandavimus, super expositis in eis capiendam esse diligentem et summariam informationem; per quam reperimus prædictos N. et N., tertio et

quarto consanguinitatis gradibus, uti exponerent, esse conjunctos, et dictam orationem N. propterea raptam non fuisse, omniaque in dictis litteris narrata, et exposita vera fuisse, et esse, ac veritate fulciri. Idcirco (si in forma pauperum expeditæ sunt litteræ apostolicæ, dictis statim jungitur) imprimis præfatos N. et N. separavimus ab invicem, eisque publicam penitentiam, et oratori simul id injunximus, ut tribus saltem mensibus operam suam conferret fabricæ ecclesiæ N. vel loci N. quibus juxta testimonium fide dignum per eos præstitis, ab eisdem juramentum recepimus, quod sub spe facilius consequendæ dispensationis incestum non commiserint, et imposita arbitrio nostro alia penitentia salutari, ipsos in utroque foro absolvimus et hæc ob dicenda infra § sequenti a n. 406. (si vero dispensatio fit in forma communi omissis istis, post idcirco statim jungitur, ut sequitur) recepto ab eis juramento, quod sub spe facilius obtinendæ dispensationis incestum non commiserint, impositaque eisdem salutari penitentia, illos in utroque foro absolvimus. » (Si fit dispensatio in casu, quo copula, vel crimen nullum intervenit, etiam immediate dicta omittuntur, et post idcirco statim pergitur) cum præfatis oratoribus auctoritate nobis commissa servatis servandis dispensavimus, quod non obstante impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi matrimonium inter se publice, servata concilii Trident. forma, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodum remanere libere, ac licite possint. Distantiam vero tertii gradus non obstare declaravimus; prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo (verba illa prolem susceptam, si qua sit, omittuntur, ubi non intervenit copula): non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque, juxta prædictarum litterarum apostolicarum formam. In quorum fidem etc., die, mense, anno. »

§ VIII.

DE DISPENSATIONE IN FORMA PAUPERUM PRO FORO EXTERNO.

366. *Dispensatio in forma pauperum quare inducta?* — Supra jam dictum habetur, curiam romanam dispensationem concedere

pro foro externo, vel in forma ordinaria, vel in forma pauperum, de priori hucusque ad longum egimus. De posteriori vero in præsentibus § agemus. Pro cujus majori intelligentia prænotandum est; quod paupertas pro casibus dispensationis matrimonialis dupliciter allegari possit, et soleat in curia romana. Primo tanquam causa finalis seu motiva, seu principalis pro obtinenda dispensatione: et aliud non est quam defectus competentis dotis, de quo supra n. 81. Secundo non ut causa principalis obtinendi ipsam dispensationem in substantia, sed ut causa per accidens, et ad id allegata, ut dispensatio concedatur gratis, seu absque compositione, vel taxa pecuniaria, quam dispensati in forma ordinaria solvere debent. Cum enim multi sint pauperes, qui media non habent ad solvendam præfatam taxam, Ecclesia pia mater omnibus providere volens, et ne pauperes destituantur necessariis dispensationis mediis, præter ordinariam, introduxit specialem formam gratis dispensandi cum pauperibus, vi cujus dispensatio facta vocari solet in forma pauperum.

367. *Quid sit?* — Quæritur I. Quid sit dispensatio in forma pauperum? a quo? et ob quas causas fieri possit, et soleat? Resp. I. Dispensatio in forma pauperum est illa, qua pro foro externo ex legitima causa gratis dispensatur cum vere pauperibus, et miserabilibus personis, non habentibus sufficientiam media ad solvendam taxam pecuniariam alias solvitam. Ita in re communis: patetque partim ex terminis, partim ex dictis num. præced. et dicendis statim infra.

368. *Datur non tantum a Papa, sed etiam episcopis.* — Resp. II. Dispensatio in forma pauperum non tantum a Papa, sed etiam ab episcopis (in casibus sibi concessis) fieri potest et solet. caret iterum controversia. Patetque continua praxi, qua videmus, non tantum Papam, sed et episcopos gratis dispensare cum illis pauperibus, qui nulla media solvendi habent.

369. *Curia romana eam ob nullam aliam causam concedit, quam ob præcedentem copulam, vel suspensionem illius.* — Resp. III. Dispensationem in forma pauperum curia romana ob nullam aliam causam dare solet, quam ob copulam, vel suspensionem copulæ inter laborantes impedimento habitæ, vel potius ob mulieris infamiam, et scandala

verosimiliter inde secutura, nisi matrimonium inter eos sequatur. Justis, lib. I, cap. VII, n. 2; Corrad., lib. VIII, cap. v, testantes de constante stylo curiæ. Addit Justis, graviter decipi doctores, qui putant, eam etiam ex aliis causis dari: inter quos est Gobath., tract. 9, a n. 654. quare tamen ob allegatas causas dispensetur, vide supra n. 94 et 95, ubi amplius de his causis.

370 et 371. *Episcopi vero et nuntii etiam ex aliis causis eam concedere solent et debent.* — Resp. IV. Extra curiam, uti apud nuntium, vel episcopum, utpote qui ex privilegio, seu speciali facultate generaliter concessa dispensant, non tantum ex dictis num. præced. sed etiam ex aliis a n. 69. allegatis causis datur dispensatio in forma pauperum, seu gratis. Patet experientia et praxi. Imo si episcopus vi privilegii dispensat, dispensatio cum quovis etiam divite semper gratis, et sic in forma pauperum fieri debet. Ratio est; quia speciales facultates, seu quasi privilegia episcopis Germaniæ, et aliis ab urbe longe distantibus concedi solitæ, semper expresse habent hanc clausulam: « Et præfatæ facultates gratis et sine ulla mercede exercentur; » uti patet ex copia n. 22. allegata.

Nec allegari contra hanc clausulam potest consuetudo contraria, eo quod singulis quadrienniis facultates præfatæ expirent, et de novo peti debeant, ac non nisi cum dicta clausula concedi de novo soleant; intra quod tempus consuetudo non potest legitime præscribi; uti patet ex dictis lib. I, tit. IV, de Consuetud. Consuetudo autem legitime non præscripta nil valeat per dicta arg. c. fin. de Consuetud. ibi: « nisi legitime sit præscripta. »

372. *Pauperes quinam dicantur?* — Quæritur II. Quinam sint, et reputentur pauperes ad hoc, ut eisdem concedatur dispensatio in forma pauperum, seu gratis? Resp. I. quamvis alias nomine pauperum non tantum veniant illi, qui mendicant, sed etiam, qui non habent sufficientiam, quibus se juxta status sui conditionem decenter sustentare possint. Barbos., lib. III, Jur. Ecclesiastici universi, cap. XVII, n. 23 et de Appellat. Verborum Jur. §. Pauper.; Reginald., in Praxi penitent. lib. XXX, tract. III, n. 101; Mascard., de Probat. conclus. 1154, n. 13; Justis, lib., cap. VII, n. 69. ut proin etiam illustres ac nobiles, imo etiam principes, ac duces pauperes sint, ac dici possint, qui,